Q. D. B. V.

DE INJVSTA QVERELA QVOD TEMPVS MALVM SIT

DISSERTATIO PHILOSOPHICA

QVAM
PHILOSOPHORVM LIPSIENSIVM
INCLYTO ORDINE



BENEVOLE ADPROBANTE
EX EJVSDEM CATHEDRA
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
DEBITA SVBMITTENT OBSERVANTIA

PRAESES
M. IOAN. HENRICVS BEHR
BEROLINENSIS
S. S. THEOLOGIAE CVLTOR
ET
RESPONDENS
DAVID FRIDERICVS TEVBNER
HAYNA MISNENSIS
PHILOS. BACCALAVR.

D. XXI. JVNII A. R. S. cIɔ Iɔcc XXVII.

LIPSIAE
LITTERIS IMMANVELIS TITII.

REVERENDISSIMI
SENATVS ECCLESIASTICI
PER
TERRAS BRANDENBVRGICAS
SVPREMI
PER-ILLVSTRI ET EXCELLENTISSIMO
PRAESIDI
DOMINO SVO GRATIOSISSIMO
ATQVE
CONSILIARIIS
MAGNIFICIS SVMME REVERENDIS
CONSVLTISSIMIS GRAVISSIMIS
VIRIS
DE ECCLESIA ET REPVBLICA
IMMORTALITER MERITIS
MAECENATIBVS
AC
PROMOTORIBVS SVIS
SVMMA QVA DECET VENERATIONE
ANIMI DEMISSIONE AC PIETATIS
OBSEQVIO AETATEM COLENDIS

HANC
DISSERTATIONEM ACADEMICAM
IN
OBSERVANTIAE PERPETVAE
MEMORIAM
CVM LONGAEVAE VITAE
ET PERENNIS PROSPERITATIS
VOTO ARDENTI
OFFERT DICAT CONSECRAT
SIMVL
GRATIAE VLTERIORI
PATROCINIO AC FAVORI
SE SVAQVE STVDIA
DE MELIORI COMMENDAT

IOAN. HENRICVS BEHR.



ΣΥ'ΝΟΨΙΣ.

  

§. I.



NOn levis injuria temporibus rebusque nostris infertur a multis, qui, quoties duri aliquid & adversi patiuntur, perverse statim temporibus id tribuunt perversis. Sed illi cum existimant sua tempora præteritis & antiquioribus esse pejora, vel eorum quæ ante nos extiterunt & facta sunt, plane sunt expertes, vel illa tamen, indignatione capti, non satis perpendunt, nec debite ea conferunt cum præsentibus. Hoc enim si facerent, res cum rebus, eventus comparaturi cum eventibus essent, nec tempori, quod aliis omnino caussis debetur, tributuri. Licet enim certissimum sit, eorum omnium quæ in tempore fiunt nil, excepta eorum inconstantia, constans esse, nihilque rerum mundanarum mutatione, aliquo minimum carere respectu; propius tamen res inspicientibus apparet, æqualem semper temporum ipsorum persistere faciem. Hæc nunquam non bona est, sique aliqua immutentur, hominibus ea potius in tempore viventibus, aut aliis rebus adscribenda sunt, quam ipsi tempori. *

* Cum essentiæ rerum immutabiles sint, & ratione accidentium solummodo res mutentur; tempus semper idem est.

§. II.

Dupliciter autem tempus spectatur, vel prout fluxu semper æquabili progreditur, & accelerari nequit ac retardari, quod verum dicimus & absolutum tempus; vel prout sensibilis & externa quævis durationis cujusvis mensura est, quod relativum tempus appellamus. Hæc sensibilis durationis mensura, sive exacta est ut annus, mensis, reliqua, ad Solis, Lunæ reliquorumque astrorum motum uniformem exacta; seu non adeo æquabilis, quæ horologia tantum sequitur vulgaria. *

* Cl. PETRUS van MUSCHENBROEK *in Epitome Elementorum Physico-Mathematicorum cap. VI.* differentiam temporis veri & absoluti a relativo cum indicasset: *Comparatio autem*, inquit, *inter motum & tempus manca est*, & addit rationem §. 98. *Quia nescimus an motus absolute æqua-*

æquabilis in corpore detur, tempus relativum incertum est, & a vero differt. Confer JO. BAPTISTAE du HAMEL *Astronomiam Physicam l. II. cap. 3. pag.* 110. *& cap. 4. pag.* 122.

§. III.

Cum longum & breve temporis vocatur spatium, quantitatis habita ratione, quantitas hæc durationis prædicatum est rei quæ durat, non temporis ipsius, ut rei peculiaris, quæque rem durantem dirigat. Similiter si ratione qualitatis bonum aut malum, felix aut infelix nominatur tempus, non tempori ipsi, verum rebus, quæ sunt in tempore, hæc sunt tribuenda. Accidentia igitur temporis, quantitas non minus ac qualitas, prout tempus aut absolute consideratur aut relative diversimode etiam spectari debent. Absolute enim si sumitur, neutrius horum duorum accidentium habetur ratio; relative autem si tempus æstimas, accidentia quidem hæc temporis vocantur, non tamen proprie etiam temporis, sed rerum potius sunt, quæ sunt in tempore.*

* Confer Celeb. WYERII GVILIELMI MVYS *Elementa Physices Methodo Mathematica demonstrata. Prop. XIV. pag.* 834. *seq.*

§. IV.

Improprie cum tempori competant quæ illi tribuuntur, & tempus tamen ipsum, pro diversis attributis diversum putetur, impropria temporis acceptio bene notanda est, hæcque tam ratione quantitatis, quam ratione qualitatis. Ratione quantitatis improprie sumitur, cum spatium temporis tempori ipsi adscribitur, quasi ipsum cogeret res quæ sunt in isto spatio, ut nec citius nec serius spatium illud absolvere possint, sicque necessitas quædam & fatum a tempore dependeat. * Ratione qualitatis sumitur improprie vocabulum temporis, quando pro rebus naturalibus: Sole, Luna, Astris sumitur, quæ tempora, secundum diversam rationе nostri positionem, mutare videntur; ** aut quando in specie accipitur pro actionibus hominum hincque sequentibus eventibus, hominemque præprimis concernentibus rebus, cum physicis tum moralibus ***

* Exemplo hic sit vitæ humanæ spatium.

** Ut quando temporis innovatio vocatur, si Sol vel Luna ad idem denuo circuli quem describit punctum accedit. e. g. vere, novilunio.

*** Sic

*** Sic durum vocatur tempus, quando alter ab altero dura atque adversa patitur. Ad tempus relativum autem hæc omnia ſpectant.

§. V.

In partes extra partes tempus dividitur, non relativum ſolum ſeu improprium, verum & abſolutum. Hæ partes non minus infinitæ fieri poſſunt, quam partes lineæ mathematicæ, quæ cum magnitudo ſimplex & uniformis ſit, per puncti fluxum optime exprimitur. Tempus enim ſimiliter intellectui commodiſſime repræſentatur, per momenti vel inſtantis in longum exporrectam ſucceſſionem, vel longinquitudinem. Cum tempus a rebus menſuretur, varia quidem ipſius partibus imponuntur nomina, quorum alia determinata ſunt: annus, menſis, dies, hora, ſimilia; indeterminata alia: præteritum, præſens, futurum; ſed hæc etiam non temporis, verum noſtram rerumque noſtrarum indicant mutationem. Temporis igitur abſoluti nunquam fere, relativi autem ſemper habetur ratio. *

* Doctiſſimus Cantabrigienſis Mathematicus ISAACVS BARROW *lectionum Geometricarum*, quæ una cum Opticis ipſius lectionibus prodierunt *Londini* 1674, *prima: Tempus*, inquit, *non actualem exiſtentiam; at capacitatem tantum ſeu poſſibilitatem denotat permanentis exiſtentiæ.*

§. VI.

Tempus igitur, prout apud nos in cenſum venit, nihil eſt aliud, quam intervallum durationibus emenſum & apparentiis rerum mundanarum, corporum præcipue cœleſtium. Intervallum cum ſit vel menſura & ſpatium durationum, omnia quidem in illo ſunt, ab eo autem nihil fieri poteſt; non cauſſa enim, ſed effectus, non agens eſt, ſed patiens. Duratio etiam nec quicquam agit; ſed fit illa pro qualitatibus & circumſtantiis rerum, quæ apparent quam diu durant, apparere autem & durare ſi deſinunt, intervallum ſimul, quod inde a ſua origine deſcribebant, finiunt ipſique ponunt terminum, nullo modo terminum ab illo ſibi fixum agnoſcunt. Corpora enim mundana, cœleſtia præcipue, motu ſuo intervalla quædam durationum & apparentiarum definiunt, unde Solis emenſo curſu annus, Lunæ abſoluto circulo circumſcribitur menſis; non vero annus impellit Solem, nec menſis Lunam

nam cogit, ut cursum vel citius absolvat, vel protrahat longius. *

* AVGVSTINVS *libro XIV. Confess.* *Quid ergo est tempus?* inquit, & respondet: *si nemo ex me quaerat, scio, si quaerenti explicare velim, nescio.* Et profecto si veterum recentiorumque virorum doctissimorum de tempore effata inspicimus, pauca esse quae de tempore sciri possint apparet. Communiter tempus habetur pro mensura motus, ut ARISTOTELES docet, qui *Phys. IV,* 16. ὅση, inquit, ἡ κίνησις, τοσοῦτος καὶ ὁ χρόνος ἀεὶ δοκεῖ γεγονέναι, *quantus motus fuit, tantum tempus videtur extitisse.* Tempus hic non pro caussa motus agnosci posse apparet. CICERO *de Invent. Tempus est,* inquit, *id quo nunc utimur [Nam ipsum quidem generaliter definire difficile est,] pars quaedam aeternitatis, cum alicujus annui, menstrui, diurni nocturni spatii certa significatione.* Pars quaedam aeternitatis, ab alio quod in ea est describi debet, sicque patiens quidem, non autem agens quid est; & significatio alicujus spatii nihil quoque praestat quod pro caussa eorum quae in illo sunt haberi possit. ISAACVS BARROW, *l. c. Tempus* inquit, *est perseverantia rei cujusque in suo esse, statu motuve.* Perseverantiam rei, quaecunqne sit, caussam agnoscere tempus, dici nequit; rei enim cujusque natura perseverantiam hanc efficit, ut ipse auctor indicat. ISAACVS NEWTON, *Phil. Nat. Princ. Math. p. 7. Tempora,* inquit, *& spatia sunt sui ipsorum & rerum omnium quasi loca. In tempore quoad ordinem successionis, in loco quoad ordinem situs locantur universa.* Cum nec locus aliquid per se efficiat, multo minus quasi locus, rerumque locatio. Celeber. CHRISTIANVS WOLFIVS in *Elementis Chronologiae: Tempus,* inquit, *est successio phaenomenorum in universo, & ejus, quam habemus, idea in ordine perceptionum successivarum consistit.* Successio non phaenomenorum, ut phaenomena non successionis, scilicet absolute spectatae, caussa est; sed in universo successio quidem phaenomenorum datur, non autem quicquam in universo bonum aut malum fit ab hac successione. Ordo perceptionum fit secundum successionem hancce, hinc vero tempus nec perceptionum, nec eorum quae percipiuntur caussa fit. Doctiss. MICH. GOTTLIEB HANSCHIVS *Theorematum Metaphysicorum ex Philosophia Leibnitiana selectorum definitione XXV. Tempus est,* inquit, *connexio plurium incompatibilium, sive mutuo sibi succedentium, secundum communem aliquam normam.* Nec connexio hic, nec norma secundum quam illa fit, aliquid facere dicitur; connexio effectum, norma non agens sed patiens indicat; res autem sibi mutuo succedentes & actum & caussam actus in se continent. Conferantur MVSCHENBROCKIVS & MVYSIVS locis citatis, ut & JO. CHRISTOPHORVS STVRMIVS *Matheseos Juvenilis Chronol. Sect. I.* Ne igitur indi-

 gnetur

gnetur quisquam, quod, cum de tempore tam parum constet, definitionem solummodo nominalem temporis suppeditem.

§. VII.

Malum sub se comprehendit tum imperfectiones rerum simplices, tum actiones & omissiones intelligentium a norma sua discedentium, tum etiam perpessiones creaturarum sensu praeditarum. Primum, quod finitudini rerum cohaeret, malum vocatur metaphysicum; sequens labilitatem, quae a finitudine dependet, caussam agnoscit, & appellatur, morale; ultimum nominamus physicum, & ab imperfectione itidem, ut reliqua, originem ducit. Triplex igitur ratione objecti malum esset patet. *

* Vide Illustris GODOFR. GVILIELMI LEIBNITII *Theodiceam Parte III, §. 241.*

§. VIII.

Ratione subjecti in quo malum notatur, observanda quoque venit mali differentia. Vel enim subjectum ipsum malum videtur, vel tantummodo adjunctum ipsius malum est. Si subjectum ipsum malum est, ratione essentiae suae malum sit necesse est; tale autem quaquaversus spectes nullibi invenies. In utroque casu aut corruptio illa inseparabilis est & irremediabilis, aut separari a subjecto illudque corrigi potest. *

* Conferatur *Theodicea Parte II, §. 213. & 214.*

§. IX.

Ex hisce liquet, quomodocunque malum inspicias, privationem illud esse, non rem, aut statum quendam rei absolutum & originarium. Circumspicientibus plurima quae se offerunt nobis, mali ut privativi entis exempla praebent, quatenus scilicet aut per se imbecillia sunt, comparata scilicet cum robustioribus magisque durabilibus, aut in eo statu non persistunt, in quo perfectionem originariam conservent. Quae per se imbecillia sunt, vel accuratius loquendo talia tantum videntur, bona etiam praestant, quamvis & mala quaedam inferre videantur. Corrupta quae sunt, si in se invicem agunt, mala quidem producunt, quae tamen non omnem quoque bonitatem excludunt. * Hinc entia omnia quatenus bona entia

tia nempe absoluta, auctorem agnoscunt creatorem; quatenus vero mala sunt, privationes scilicet boni patientes, dependent a creaturis. **

* Cum in mundo perfecto, qui perfectissimum creatorem deceat, nihil esse possit quod non ad universi perfectionem suum tribuat; venena, zizania, feræ bestiæ, alia quæ multa nocent, se sistunt. De hominis præcipue corruptione testis e veteribus Philosophis PLATO est, qui: *Cecidit autem*, inquit, *animus noster in corpus, cum prætermisso divino, solo suo usus est lumine, ac se ipso cœpit esse contentus.* Vide MARSILII FICINI *comment. super Platonis conviv. Orat. IV. cap. 4. fine.* Quid de hoc malo Pythagoras senserit, cum illud συνετακός vocet, de hoc vide FRID. RAPPOLDI *comment. in Horat. pag.* 1151. Quod vero mala quædam in mundo perfectissimo locum habere possint, de eo consule *Leibnitii Theodiceam Parte I.* §. 9. *seq.*

** Mala omnia a creaturis ducere originem, nulla autem mala Deum auctorem agnoscere docet LEIBNITIVS *libri citati Parte II*, §. 149. Celeb. WOLFIVS *Metaph.* §. 1056. & Cl. GEORG. BERNHARDVS BVLFFINGERVS *Commentatione Philosophica de origine & permissione mali, præcipue moralis.*

§. X.

Cum quod quid ipsum non habet, in aliud conferre non possit, tempus quod causa non est nec actio, malo essentiam vel existentiam tribuere non potest. Malum etiam cum privatio tantum sit, tempori neque essentiam neque existentiam potest tribuere. Hinc etiam tempus malum ens positivum, statui non potest, atque si hoc, nihil etiam a tempore malo fieri potest; requiritur prius in quocunque malo subjectum reale, cujus adjunctum sit malum. Tempus malum proinde nihil est aliud, quam intervallum durationis, quod subjectorum pravorum pravæ actiones emetiuntur; merus igitur effectus, mera passio est. *

* Si nempe tempus relativum intelligimus. Consentit nobiscum HIERONYMVS qui: *Ne dicas*, inquit, *priora tempora meliora fuere, quam nunc sunt: virtutes faciunt dies bonos, vitia malos, in Eccles. lib. XIV.*

§. XI.

Querela cum sit explicatio displicentiæ ob malum obveniens; injusta querela est explicatio tædii ob malum quod immerito obvenire falso creditur. Cum igitur tempus malum vocatur, inju-

stam hanc querelam esse monstraturo opus esse video, ut probet ulterius, immerito atque injuste tempori mala adscribi. Hoc agens ita procedam, ut argumentis primo sententiam meam stabiliam, deinde autem graviores quasdam ac potiores instantias contra illam afferam, easque refutem.

§. XII.

Injuste autem tempus ut malum accusari, primo exinde probo, quia caussa eorum putatur eventuum, qui vel ipsis iis qui malis vexantur adscribendi sunt, vel aliis tamen hominibus aut rebus. * Cum si ipsi malorum suorum caussæ sunt, hoc vel per se fiat vel per accidens, per se variis modis malorum quæ sufferunt caussæ sunt. Aut enim actionibus antecedentibus ea, quæ deinde sequuntur, tribuere debent, aut præsentibus actionibus suis, futura sibi accersunt mala, aut præsentia plane, eaque aut physica aut moralia. Bene igitur ac diligenter rependere eventus, aut certo aut probabiliter futuros, cum quilibet debeat qui acturus est; nihil mali faciendum est, nihil etiam de quo dubia hæret sententia utrum bonum sit an malum. **

* Generalissima hic tantum trado. Ingredi quidem ethicæ campos possem, & indicare quænam actiones bona accerserent quæ mala, reliquas etiam disciplinas morales, quæ officia nostra & prudentiam in agendo docent, ut & physiologiam, præprimis anthropologiam, quæ actionum hominis naturalium mechanico-physicas rationes suppeditant; sed instituti rationes hæc non permittunt. Adeat qui ea cognoscere cupit WOLFII *Philosophiam Practicam universalem*, Celeb. ANDREAE RVDIGERI *Philosophiam Practicam de Prudentia*, Summe Venerandi JO. FRANCISCI BVDDEI *Elementa Philosophiæ Practicæ*, Gravissimi Viri GEORG. WOLFFGANGII WEDELII *Physiologiam Reformatam* hujusque Affinis spectatissimi eruditissimi HERM. FRIDERICI TEICHMEIERI *Anthropologiam*. De loco Scripturæ S. αἱ ἡμέραι πονηραί εἰσι. *Ephes. V.* 16. bene judicat AVGVSTINVS *Epist. LXXX. ad Hesych.: Quidam convenientius intellexisse mihi videtur*, loquitur de loco Matth. XXIV, 22. *mala ipsa significata nomine dierum, sicut dicti sunt dies mali in aliis divinæ Scripturæ locis. Neque enim dies ipsi mali sunt, sed ea quæ fiunt in eis.*

** Vide Celeb. SAM. PVFENDORFIVM *de Officio Hominis & Civis cap. I. §. 6.*

§. XIII.

§. XIII.

Prouti in actionibus quæ necessario malum sibi attrahunt, cautione opus est; ita & in iis quæ per accidens. Sed cum accidentia mala, aut facilius aut minus facile evenire possint, hæc non æque facile prævideri possunt ac evitari quam illa. In utroque tamen casu nobis ipsis nostrisque actionibus mala ea adscribenda esse, patebit ei qui diligentius eventibus actionibusque suis attenderit. *

* Confer Celeb. JO. BALTHASARIS WERNERI *Elementa Juris Nat. & Gent. cap. I. §. 6.*

§. XIV.

Ab aliis, quæ patimur, aut nostris, aut illorum malis actionibus tribuere debemus. Si prius, redeunt hæc ad ea quæ jam dixi; sin posterius, aut per se aut per accidens aliorum actiones mala nobis inferent. Quodcunque autem ex hisce contingat, non tempori, sed hominibus imputanda sunt, quæ mala accidunt. Nam ut homo homini, ita & sibimet ipsi homo, sæpe omnino lupus est, & quilibet fortunæ suæ faber. *

* Unicum rem declaret exemplum. Titius laute vivit, simul vero unde deinde vivat non plane sine cura est. Sempronio creditori amico solvendum ipsi debitum, cum pecunia careat. Versuram igitur facit, non quidem difficilem, ipsi tamen injucundam & molestam. Hujus illius tædii an tempus culpa est? ipse, plura quam debebat consumens, eam constituit; alii quoque, qui ad lautius vivendum eum illicuerunt, suum tribuerunt; Sempronius denique citius quam speraverat proficisci coactus, hincque sua indigens pecunia.

§. XV.

Major adhuc injuria est, cum ad mala per temporis rationes se cogi existimant improvidi, qui libere tamen, quæ agunt, agunt. In illorum enim est potestate, ut has vel illas virtutes morales sibi acquirant, aut hæc vel illa vitia; hinc actionum quoque suarum reliquarum auctores ipsi sunt. Prouti enim animum naturaliter disposuerunt, hos vel illos habitus sibi acquirendo, varie etiam veritates inspiciunt, & voluntatem determinant, ut deinde vel hæ vel aliæ actiones oriri debeant. *

* Quid justum sit, quid liceat, quid honestum, quid deceat, quid sic

 profi-

proficuum, ille omnino melius intelligit, actionesque suas dirigit prudentius, qui in id incumbit, ut genuinas horum ideas sibi acquirat, quam qui negligens ut inutiles subtilitates hæc spernit: sive bonum sit seu malum quod desiderat nihil pensitans, dummodo cupitis potiatur. Confer PVFENDORFIVM, *de O. H. & C. cap. I, §.* 13.

§. XVI.

Nec est igitur quod quis existimet, hoc vel illo animo hæc tum feci, quid resistere inclinationi possum naturali? temporis rationes eam excitarunt. Reputa rationem tibi non frustra datam esse; sed ad veritates indagandas, per quas deinde quid bonum, quid malum, quid appetendum, quid aversandum sit, indicatur. Si negligentior veritates scrutaris, hinc voluntas etiam ut bonum arripit quod bonum non est, malæque actiones hinc erumpunt, ipse tibi, quæ evitare potuisses, imputes. *

* Ad tria hominis bona principalia, tria quoque media communia & generalia esse, ratione corporis sanitatem, ratione intellectus veritatem, ratione voluntatis virtutem, docet Celeb. ANDR. RVDIGERVS, *Phil. Prag. l. III.* §. 20. 21. Qui unum medium bona obtinendi negligit, sapientis ac providi hominis nomen defendat fieri non potest, & quæ inde mala ipsi obveniunt, sibi ipsi illa imputet oportet. Confer. SENECAE *Epist. XXII.* & JO. SIMPLICII, *Comment. in Enchir. Epicteti, c.* 34.

§. XVII.

Alii si te cogere videntur ad male agendum, nec hoc tempori, sed tibimet ipsi imputes. Malorum enim consortium, ad minimum ut te ad mala non abripiat, evitare potes. Qui possis dubitas, cum pravorum hominum plena sint omnia? Si illi non permittunt ut eos corrigas, cur te ab iis corrigi & corrumpi permittes? Ex malis eorum bona collige, quod, si attenderis, fieri posse experieris. Nec etiam boni quibuscum agas, quique adesse tibi possint, deerunt. *

* Omnia sua concoquit Pamphilus, unde deinde vivat nihil curans. Solvendum ipsi Chremeti creditori debitum, cum pecunia careat. Versuram propterea facere cum velit, nec ii quibuscum sua dilapidavit, nec alius, mutuo ipsi dare vult nummos; hinc mœstus & anxius, unde sibi consulat non habet. Mœroris hujus quis auctor? An tempus Pamphilum coëgit, cum existimaret, omnia, quæ ad luxum eum invitabant, inevitabilia esse & incorrigibilia? occasionem epulandi, ludendi, sua largiter distrahendi non esse omittendam arbitrabatur, quia commessationes, & quævis luxuriandi

genera,

genera, bona ipsi & appetenda videbantur? Certe hinc nulla tempus accusandi ratio deducetur. Pamphilum ipsum adversæ suæ fortunæ auctorem esse patet. Confer. elegantissimum quod hic quadrat exemplum in *Theodiceæ Parte III*, §. 409. *seq.* Quod etiam ex malis bona derivari possint, de eo consule HIER. CARDANVM, *de utilitate ex adversis capienda.* Immo cum grano salis accepta verba: *Souvent on tire plus de fruit de ses fautes que de ses belles actions*, nostram mire confirmant sententiam. Sunt illa FRANCISCI DE SALIGNAC DE LA MOTHE FENELONII in libro, cui titulum fecit: *Les Avantures de Telemaque L. XXII.*

§. XVIII.

Mala etiam multa, propter quæ tempus malum dicitur, si exactius consideramus, immerito pro malis habentur. Non enim per se; sed ratione objecti & applicationis, quædam res malæ sunt aut fiunt. Si vero quædam nobis mala sunt vel fiunt, hoc caussam vel in nobis, vel in aliis aut personis aut rebus, nostra vero culpa, invenit. * Si enim diligentius veritates, ut jam monui, scrutati essemus, hincque simul habitum nobis acquisivissimus, nonnisi vera bona appetendi, & non nisi vera mala aversandi; quæ jam nobis accidunt, & vera mala non sunt, quod non sint, inspecturi essemus. Vera mala autem si sint, media statim se suppeditatura essent, ad ea aut evitanda, aut ad utilitates inde derivandas.

* Mala moralia caussas ac fontes esse malorum physicorum videre est ex scriptis mores regendos docentibus; & mala physica interdum malorum moralium caussas esse, constat ex scriptis physicis. Bene LEIBNITIVS: *une mauvaise volonté*, inquit, *est dans son departement ce que le mauvais principe des Manichéens seroit dans l'univers; & la Raison qui est une image de la Divinité, fournit aux ames mauvaises de grands moyens de causer beaucoup de mal. Un seul Caligula ou Neron en a fait plus qu'un tremblement de terre. Un mauvais homme se plait à faire souffrir & à detruire, & il n'en trouve que trop d'occasion. Theodicée P. I.* §. 26. De malis physicis vide eundem *P. III*, §. 251. ubi cum indicasset, in quo bona & mala physica consisterent, & bonorum physicorum amplissimum campum esse, ibi etiam ubi non apprehenditur, monstrasset: *Et sur ce pied là*, inquit, *j'oserai soutenir, que meme en cette vie les biens surpassent les maux, que nos commodités surpassent nos incommodités*, &c.

§. XIX.

Multa quoque mala esse videntur propterea quia bona, quæ iis

iis alias opposita fuisse videntur, non adsint. Attentius autem si agerent incauti, aut ea ipsa adesse, aut bona tamen alia, iis quæ ante non minora,. intellecturi essent. Quod vero neutrum horum videant, & ita mala se pati putent, cui nisi sibimet ipsis imputabunt? Nec etiam hac de caussa querelas contra temporis injurias jure instituere possunt.

§. XX.

Si quædam reïpsa mala nobis sunt, cogitandum, quod vel multis aliis hominibus, vel toti etiam universo, per mala hæcce bona multa evenire possint. Cogitandum, in universo non omnia ad unius hominis utilitatem jucunditatemque institui debere; sed ad perfectionem universi omnia suum debere tribuere. Hæc autem universi perfectio, optime consistit cum imperfectione quadam rerum particularium, quæ ipsæ ad perfectionem totius sua conferunt. Hoc tam in rebus physicis, * quam in moralibus locum habet. **

* Quemadmodum in machinis non omnes rotæ vel aliæ partes, ejusdem sunt roboris, sed imbecilliores non minus ac robustiores, ad perfectionem operis spectant; ita & in corporibus animalium, non membra solum robustiora, verum & imbecilliora, ad perfectionem totius corporis spectant. THOMAS AQVINVS *contra gent. L. III. cap. 71. ad prudentem,* inquit, *gubernatorem pertinet, negligere aliquem defectum in parte, ut faciat augmentum bonitatis in toto.*

** Si Cajus nunquam pecunia eguisset, multa bona non fecisset, quæ multis nunc utilitatem præbent; egisset mala multa, quæ multis, aut exemplo tantum, aut aliis modis plurimis, malum intulissent.

§. XXI.

Cum hæc vero, de qua jam loquimur, sapiens rerum institutio, sapientem universi & conditorem & gubernatorem indicet, nosque homines omnes ad ipsius pertineamus regnum; qui tempus malum existimat, sive proprie illud malum esse putet seu improprie, * rebellem contra universi Monarcham se præbet. In utroque enim casu, aut Summum numen malignum putabit, aut negligens tamen. Prius quasi ipsum primum mali & tempus depravans principium esset, posterius quasi mundana non curans,

omnia sese depravare permitteret, nihili hæc habendo. Horum autem utrumque cum contra omnia præstantissimorum Philosophorum, gentilium etiam, militet principia; hinc quoque sequitur, nullo modo tempus malum dici posse. **

* Quod proprie dictum tempus malum non sit, ex jam dictis constat; tempus improprie dictum malum non esse, sequentia ulterius confirmabunt.

** CICERO *de Natura Deorum l. II. pag.* 61. editionis Hanoviensis de 1609. *Postea*, inquit, *cum vidissent*, loquitur de Philosophis, *motus ejus* [mundi] *finitos, & æquabiles, omniaque ratis ordinibus moderata, immutabilique constantia intelligere, inesse aliquem nonsolum habitatorem in hac cœlesti ac divina domo, sed etiam rectorem & moderatorem, & tanquam Architectum tanti operis, tantique muneris. Nunc autem mihi videntur ne suspicari quidem, quanta sit admirabilitas cœlestium rerum, atque terrestrium.* LEIBNITIVS *Theodiceæ P. III.* §. 247. *Dieu*, inquit, *n'apas moins la qualité du meilleur Monarque, que celle du plus grand Architecte*, & *P. II.* §. 240. de auctore Anglo libri de origine mali verba faciens: *Il dit*, inquit, *que ce qu'une cause infiniment sage & libre a choisi est meilleur que ce qu'elle n'a point choisi. N'est ce pas reconnoitre que la bonté est l'object & la raison de son choix? dans ce sens on dira fort bien ici*

Sic placuit Superis; quærere plura nefas.

§. XXII.

Accedimus nunc ad ea, quæ ad vindicandam querelæ, quam hactenus impugnavimus, justitiam afferri possunt. Primo autem loco se nobis sistit opinio, qua existimatur, mundos innumerabiles, in omni puncto temporis, alios nasci, alios interire. * Immo eventurum putant, ut ad extremum omnis mundus corrumpatur, & Deus opus habeat de novo illum animandi, ut ita renovetur. ** Hanc veterum quorundam sententiam, nostris etiam temporibus Philosophus Mathematicusque insignis ISAACVS NEWTONVS cum asseclis, præcipue Celeberrimo CLARCKIO, defendit. Putat enim successu temporis systema solare, quin & mundanum, fieri defectibus obnoxium, ita quidem, ut, nisi Deus illi vigorem pristini motus, per operationem immediatam, singularem & a cursu ordinario distinctam, diversis temporum intervallis redderet, successive motus in lentorem & quietem, ordo in confusionem desi-

neret. *** Ex hac autem hypothesi sequitur deinde, tempora nostra antiquioribus illis non æque bona esse; sed corruptiora multo & infeliciora.

* CICERO *de Nat. Deorum l. II. pag.* 62. hanc aliorum sententiam refert.

** Idem Tullius quosdam existimare narrat, Panætium de hac mundi imbecillitate addubitasse. *ibid. pag.* 69.

*** NEWTONVS, *Opticæ quæstione ultima pag.* 346. *Dum Cometæ,* inquit, *moventur in orbibus valde eccentricis, undique in omnes cæli partes, utique nullo modo fieri potuit, ut cæco fato tribuendum sit, quod Planetæ in orbibus concentricis motu consimili ferantur eodem omnes; exceptis nimirum irregularitatibus quibusdam vix notatu dignis, quæ ex mutuis Cometarum & Planetarum in se invicem actionibus oriri potuerint, quæque verisimile est fore ut longinquitate temporis majores usque evadant, donec hæc naturæ compages manum emendatricem tandem sit desideratura.* CLARCKIVS *in Epistolis ad Leibnitium* passim hanc sententiam defendit.

§. XXIII.

Hancce autem sententiam cui defendere animus est, observet, unum ex tribus sequentibus momentis pro fundamento ei adhibendum esse. Probandum nempe, non potuisse Deum ab initio providere perseverationi cursus naturæ per structuras corporum statumque aliquem, ut sic loquar, primum, in ceteros influentem, & per leges motuum constantes. Hoc si probare nequit, periculum ipsi faciendum est, an monstrare possit, Deo esse decentius, ut naturam ab initio languidam condat, & talem quæ subinde, post temporum aliquas periodos, in naturalibus etiam, requirat opem emendatricem. * Neutro modo si a priori sententiam defendere potest, relinquitur ipsi, ut indicet, per experientiam solicite institutam id constare, quod revera languescat opus naturæ, & restituatur deinceps pristino vigore extraordinarie, & sine caussis naturalibus.

* LEIBNITIVS *ad Clarckium Epist. I. n.* 4. *Existimo,* inquit, *cum Deus facit miracula, non id fieri propter necessitates naturæ, sed gratiæ. Si quis aliter existimat, nimis ille tenuiter de sapientia & potentia Dei judicat.* Confer Celeb. BVLFFINGERI *Dilucidationes Philosophicas Sect. II. §.* 224.

§. XXIV.

§. XXIV.

A probatione per modum primum ſapienter omnino abſtinent patroni ſententiæ noſtro dogmati oppoſitæ. Modo ſecundo ſententiam ſuam ita ſtabilire allaborant, ut doceant, per eam quam optime probari, dari conſervatorem rerum omnium; noſtra autem ſententia Deum plane a mundo excludi. * Sed etiamſi negemus immediatum in mundo condito & extraordinarium Summi Numinis, præter ea quæ in miraculis fiunt, ** concurſum; quam firmiſſime tamen concurſum Dei mediatum & ordinarium defendimus; abſit ut Deum a mundi conſervatione excludamus. Per adverſariorum autem ſententiam, non conſervatio, ſed nova quaſi creatio mundi docetur, quæ omnino ſapientiſſimo potentiſſimoque Creatori indigna eſt. Nam cum per priorem creationem, quæ ſola veri nominis creatio eſt, effectus & fines totales, & tum, & nunc, & in poſterum produci queant, cur nova fiat creatio nulla eſt cauſſa. Deus vero & natura nihil faciunt fruſtra.

* Vide *Epiſtolam* CLARCKII *ad Leibnitium I. num* 4.

** Hæc autem, niſi clarum de iis extet teſtimonium, fingenda non ſunt.

§. XXV.

Per experientiam ſatagunt, ut corroborent hypotheſin, cum dicunt, ex Aſtronomorum quorundam aſſertionibus conſtare, firmamentum jamdudum inclinaſſe, atque declinare illud ad interitum. Reputent vero illi, cum nec ipſins globi noſtri, quem incolimus, menſuram accurate noſcamus; plane arrogantis eſſe hominis, totius cœli remotiſſimorumque ipſius corporum magnitudinem, hincque diſtantiam eorum a nobis, accurate determinare velle. Per magnitudinem enim, quicquid exactius de diſtantia corporum cœleſtium ſtatuitur, probari debet; modi illam quærendi reliqui, propter defectum inſtrumentorum, quæ ad tantas dimenſiones accuratiores eſſe deberent quam hominum fert induſtria atque cura, ſunt ſuſpecti. *

* Confer Celeberrimi Viri IO. BERNHARDI WIDEBVRGII *Diſſ. de Pondere Planetarum ad Solem tendentium. Proleg.* §. 3. DVHAMELII *Aſtronomiam Phyſicam l. II. cap.* 3. *pag.* 111. & Viri Clariſſimi CHRIST-

FRIEDI KIRCHII *Memorabilia cœli Phænomena, quæ anno 1726. instante accident*, Germanica lingua scripta.

§. XXVI.

Quod vero firmamentum non inclinaverit imbecilliusque sit redditum, ita probamus, ut, cum experientia constet, leges æternas & immutabiles esse, quas natura in rerum creatarum, quæ circa nos, adfectionibus, motibus, ponderibus stabilivit, inde concludamus, ad cetera quoque corpora, in ætheris immenso oceano, illas pertinere. * Videmus omnia gravia commune aliquod punctum appetere; omnia homogenea sua gravitate niti versus centrum suorum principiorum; quamvis quodlibet etiam corpus ad motum rectilineum pronum sit, & vi quadam ab eo retinendum, ut motu circulari vehatur. ** Inde concludimus, corpora etiam cœlestia ad motum rectilineum inclinare quidem; sed simul tamen ad commune aliquod punctum tendere. Cum enim in terra nostra particulas multas igneas, particulis æthereis a Sole ad nos transmissis homogeneas, inveniamus; reliquos quoque Planetas eas habere, eosque non minus ac terram nostram, versus Solem, ut centrum suorum principiorum, niti ratiocinamur. *** Immo hinc sequi putamus, Planetas quoque omnes tam ad motum rectilineum, per vim centrifugam, pronos esse, quam, per vim centripetam, in motu circulari retineri; quem circularem eorum cursum, simplex Planetarum motus inspectio comprobat.

* Leges istas hocce paragrapho ratione directionis, sequente autem ratione virium consideramus.

** Hi duo motus se invicem non tollunt; sed alter alterum moderatur. Vide *Diss.* WIDEBVRGII *citatam*, item physicæ doctores recentiores: NEWTONVM, VERDRIESIVM alios.

*** Vbi eædem caussæ, ibi iidem effectus. Sed tamen probabilitate tantum ad ea adserenda nos duci, non est quod dissimulemus. Quis unquam in Planetis experimenta instituit? quæ autem de influxu eorum dicuntur, nullo gaudent fundamento. Vide quos citavi & quæ dixi in *Diss. de Superstitione Hier. Cardani in rebus naturalibus.* §. 12. *seq.*

§. XXVII.

Porro motus leges generales, ex quibus motus leges speciales aut a priori erui, aut a posteriori in eas reduci possunt, a corporibus quæ circa nos sunt nunquam non eædem observantur. Nempe: effe-

effectus plenus semper est æquipollens viribus caussæ integræ, hoc est viribus caussæ ad effectum præstandum adhibitis; * & sequitur hinc lex motus altera: persistit in universo eadem virium quantitas. Inde iterum jure concludi potest, omnia corpora cœlestia totalia, cum effectum plenum semper præstent, quem ea antiquissimis temporibus præstitisse constat, ** vires etiam eorum plenas adhuc esse debere, & eandem adhuc in universo virium eorum persistere quantitatem; & vice versa, cum vires adhuc integræ sint, effectum semper, quia nihil eum impediat, persistere eundem. ***

* Primam hancce legem Leibnitius suæ Dynamicæ fundamentum esse voluit. Vide *Acta Eruditorum Anni* 1694, *pag.* 110. 1695. *pag.* 145. 1698. *p.* 427.

** Effectum Planetarum alium hic non intelligimus, quam quod ita ut ante celeritatem directionemque sui cursus observent. Videantur quæ ad §. 21. ex Cicerone adduxi.

*** Sequitur hoc ex §. antecedente & confirmatur §. 29.

§. XXVIII.

Secundum hasce regulas constat, in agentibus necessariis, adeoque naturalibus, qua talibus, præcaveri ab initio defectus posse, saltem divina operante sapientia & potentia. Et cum majoris sapientiæ opus sit, obtinere effectus eosdem, perseverantiam nempe ordinis in natura, per media inter se connexa, quam per miracula superaccedentia; ab ente sapientissimo etiam media inter se connexa, eaque semper æqualia, ad conservationem rerum naturalium adhibita esse, inde necessario sequitur. Merito igitur systema mundanum machinam æternum dicimus mobilem, donec motus ejus a creatore per miraculum suspendatur, aut totum hoc opificium in primum chaos redigatur. *

* Conferatur IO. KEPPLERI *Diss. Cosmographica continens mysterium Cosmographicum de admirabili proportione corporum cœlestium,* & Vener. IO. GEORGII LIEBKNECHTII *Diss. Cosmogr. de Harmonia corporum mundi totalium, nova ratione in numeris perfectis generatim definita.*

§. XXIX.

Cum spatii angustia non permittat hæc ulterius explicare; nihil de nostra, Jovis quatuor & Saturni quinque Lunis dico, quæ & circa Planetam suum, & cum eo simul circa commune centrum, Solem, vehuntur. Nec nisi brevissimis moneo, motus corporum cœle-

cœleſtium coactos haud eſſe, aut agitationem quandam violentam, ut inde corpora cœleſtia terantur, minora pejoraque reddantur; ſed facillime ſine ulla vi Deum in creatione ſtatim impetum hiſce machinis dediſſe, qui per circulum, æternitatis ſymbolum, continuet. Nec eſt quod timeamus, ne materia ætherea ob gravitatem, quam ei quotidie accreſcere putant, motui corporum reſiſtat; cum mare hujus materiæ majus ſit, quam ut aliis rebus compleri & condenſari poſſit, immo nullo etiam modo probari poſſit, quod ætheri alia quam ante mixta ſint, ejusque maſſam immutaverint. Vt igitur cœlum ruat, nosque obruat, non eſt ut timeamus. Nec proinde etiam eſt, ut quis, ob mundi decrepitam ætatem, tempus malum eſſe dicat. *

* Vide *Diſſert. Wideburgii citatam*, & *Bülffingeri Dilucidationes Philoſophicas l. c.* ex quibus, quid etiam de Cometarum curſu ſtatuendum ſit, de quo Newtonum ſupra ad §. 22. audivimus, judicari poterit.

§. XXX.

Jam magni hic ponderis eſſe cupit argumentum de ætatis noſtræ parvo ſpatio, cum Patres, maxime antediluviani, diutiſſime vixerint. Empedocles apud Plutarchum exiſtimaſſe dicitur, Solem initio dies longe prolixiores effeciſſe. * Minus vero, argumentum, quo hoc probare conatur, rationi eſt conſentaneum, cum vertiginoſi motus non invaleſcere ſenſim ſoleant, ut ille putat; ſed potius elangueſcere. Nec eſt quod quis exiſtimet, Solem initio dies effeciſſe breviores, ſicque Patriarchas plures dies plures annos vixiſſe. Ex præcedentibus inanitas hujus opinionis conſtat. Dies igitur ac anni cum ejuſdem maneant magnitudinis, in horum differentia naturali nullum hypotheſi invenitur fundamentum. **

* Videatur Barrow loc. cit.

** Videatur qui ſubtiliſſime & plerumque accurate de tempore commentatur ISAACVS BARROW. l. c. Nec ſine inſigni utilitate hic legi poſſunt ERHARDI WEIGELII, *Phyſ. Panſoph. pag.* 99. & JO. MELCHIORIS VERDRIESII *Conſpectus Philoſophiæ Nat. Parte Gen. cap. III.* §. 8. *ſeq.*

§. XXXI.

Cum Sol eundem ſemper continuaverit curſum, hincque tempus per ſe nunquam non idem ſit, circumſpiciendum nobis eſt, utrum

utrum Patriarcharum longæva vita ubique sibi constet, an vero in dubium vacanda sit. Gentilium quidem modum tempus dimetiendi, in eo aberrare constat, quod annos minoris quantitatis computaverint; * sed de Patribus quorum vitæ durationem sacræ paginæ indicant, non simili modo nos expediemus. Lubentes concedimus, veros annos, cum de Patrum vita agatur, intelligi; nec inde tamen, tempus nostrum antiquiori pejus esse, bene concluditur.

* Vide AEGIDII STRAVCHII *Breviarium Chronologicum l. IV. cap. I. quæst.* 5. & CHRIST. WOLFII *Elementa Chronologiæ.* Hic cum multa de cyclis, epochis aliisque huc spectantibus agat; de variis quoque anni apud varias gentes constitutionibus tractaus, inter alia monstrat, Aegyptios primo habuisse annos menstruos, deinde trimestres, porro annum duodecumestrem 360. dierum fecisse, denique quinque dies epagomenas in fine addidisse, & cum sub Romanorum redigerentur dominium, annum Julianum aliqua tamen cum differentia, recepisse. Ille notat ex Plutarchi & Censorini propriis confessionibus patere, gentilium χρονογραφίαν de annis minoris quantitatis intelligendam esse. PLINIVS *Historiæ Naturalis l. VII. cap.* 48. *Ephorus,* inquit, *Arcadum reges CCC. annis. Alexander Cornelius, Dandonem quendam, in Illyrico D vixisse* [tradit]. *Xenophon in Periplo, maritimorum regem DC. atque, ut parce mentitus, filium ejus DCCC. quæ omnia inscitia temporum acciderunt. Annum enim alii æstate unum determinabant & alterum hyeme: alii quadripartitis temporibus, sicut Arcades quorum anni trimestres fuere: quidam Lunæ senio, ut Aegyptii: itaque apud eos aliqui & singula millia annorum vixisse produnt. Sed ut ad confessa transeamus, Arganthonium Gaditanum LXXX. annis regnasse prope certum est: putant quadragesimo cœpisse. Masinissam LX. annis regnasse indubitatum est.* Confer. SAM. REYHERI *Mathesin Mosaicam titulo IV.*

§. XXXII.

Nostris etiam adhuc temporibus non desunt, qui vitæ longissimum attingant spatium, * non tempori igitur; sed hominum intemperiei imputandum puto, quod plerumque terminum jam vitæ, septuaginta aut octoginta annorum senes inveniat. ** Sed longævi non statim per brevius tempus viventibus feliciores sunt habendi, cum ipsa senectus morbus sit, perpetuusque mortis timor longius illos graviusque angat quam hosce. Vix quoque ac ne vix quidem inducor ut credam, optare tantum sibi tam profectam æta-

ætatem posse, qui suis strenue satisfaciat partibus; qui autem iis non satisfacit, conscientiæ ipsius intranquillitas ita eum cruciabit, ut nihil aliud felicem illum reddere queat. Tranquille autem qui, quæ ejus sunt agens, ætatem transigit, non minus si annorum brevi numero, quam si amplissimo usus, a statione avocetur, felicem se reputabit ipsum, reputabiturque a sapientiore quolibet. Tempus igitur, ex hac etiam parte, ab omni accusatione est liberandum. ***

* Fr. Gvaldus Venetus annos 400. vivendo supergressus est, ut peculiaris libellus de vita & medicina ejus testatur; & S. Severinus, qui anno ætatis 197. Episcopus Tongrensis constitutus est, 375tum annum agens mortuus est, ut PETRVS DE NATALIBVS in *Catalogo Sanctorum & eorum gestorum* refert.

** Jam Moysis tempore, hæc senum ætate profectorum ætas erat Ps. XC,10.

*** Vide SENECAE *librum de brevitate vitæ.*

§. XXXIII.

Succedat querulantium turba alia, & corporum humanorum accuset decrementa, imbecillitatem, parvitatem. Dicunt exemplum Ogi, filiorum Enaki & Goliathi, magnitudinem corporum nostrorum imminutam satis prodere, * Herculem aliosque, robustiores tum fuisse homines evincere. De Hercule similibusque non est quod dissimulem, strenuos hos mihi videri heroës, quorum res gestæ, ne fastidium similium semper circumstantiarum, duellorum, pugnarum narratio crearet, sic descriptæ sint, ut nescio quibus fabulis, de congressibus cum draconibus, monstris, similibusque exornarentur, & e longinquo tantum describerentur. ** Non autem nisi plane ignarus eorum quibus nos gaudemus is est, qui hisce nostra tempora carere bonis sibi persuadet; cum nullum sit regnum, nulla provincia, quæ non suis superbiat heroibus, strenuis fortibusque militibus.

* PLINIVS *H. N. l. VII, cap.* 16.

** Vide ADAMI EBERTI *Relationes ex Parnasso;* conferantur etiam EDVARDI STILLINGFLEETII *Origines Sacræ. l. III, cap.* 5.

§. XXXIV.

Ad staturam quod attinet, reputet qui ad turbam istam querulantium spectat, cum tot seculorum experientia constet, eandem

dem semper ultimis temporibus staturam servatam esse, cur decrementa hæc hodie cessent, si olim a natura sua recesserint homines? Jam Davidis tempore Goliathi statura, sex cubitorum & spithamæ, pro gigantea habita fuit, * nec ea tamen hodie staturæ nostræ adeo magnus excessus est. Nam qui Potentissimo Clementissimoque Prussorum Monarchæ sunt milites, staturæ omnino magnæ homines adhuc dari satis probant. Patajones autem, confinia freti Majellanici incolentes, non minus ac Enaci filii, statura sua procera admirantes reddunt qui eos inspiciunt. **

* 1. Sam. XVII, 4. גבהו שש אמות וזרת, hic אמה Cubitus fuit 6. palmorum, vide HADRIANI RELANDI, *Antiquitates Sacras Parte I, cap.* 3. §. 13. זרת Spithama, fuit trium palmorum sive duodecim digitorum, ut notat *Kimchi in libro Radicum.* De Goliathi autem statura MATTHAEVS HOSTVS ut conferatur omnino meretur, qui in *Historia Monomachiæ Davidis & Goliathi cap. 4.* *Quod hic dicitur*, inquit, *Goliath fuisse sex cubitorum cum cubiti semisse, vel cum pedis dodrante, intelligendi sunt cubiti Hebraici: qui, si non majores cubitis Græcis fuerunt, non certe minores, sed pares eos fuisse, docti viri arbitrantur. Hi sex cubiti cum dodrante pedis Græci, faciunt pedes novem cum dodrante, ulnas hic Francofordiæ ad Oderam usitatas quatuor cum semisse, Lipsicas vero ulnas faciunt quinque cum triente.*

** Vide de hisce FRESJE *Voyage de Perou.* & HIER. MAGIVM *de Gigantibus.*

§. XXXV.

Quæ autem de cadaveribus narrantur, triginta, immo centum pluriumque cubitorum longitudinis, merito, hominum hæc cadavera esse dubitatur. Statura enim tam enormis hominis corpori plane non convenit; nec alia desunt ad quæ artus illi inventi referri possint. * Totum autem & integrum cadaver si inventum narretur, vix fidem narrationem eam mereri credo. Immo si de gigantibus tam enormis magnitudinis apud veteres fit mentio, tropice fortassis ea sunt intelligenda. Et cum aut suspectæ fidei sint, quæ dicuntur de corporibus magnitudinis tam enormis; aut si ea non adeo enormis fertur, nec jam istiusmodi desint homines; nec ex hoc capite litem tempori movendam puto. **

* ATHAN. KIRCHERVS *Muf. S. l. VIII. Sec. II, cap.* 4. cum de termino magnitudinis & virium in animalibus agit: *Discimus hoc*, inquit, *ex marmoreis Colossis Romæ quorum extiticia membra sine fulcro addito consi-*

consistere non possunt, quin pondere tandem divellantur. Quod si verum est in marmoreis statuis, quanto magis in humana statura prodigiosæ magnitudinis verificabitur. Ad quæ alia, præter humana corpora, artus istiusmodi referri possint, de eo vide *Extrait d'une Lettre ecrite de Zürich à Mr. l'Abbé Bignon par Mr. Scheuchzer, au sujet des restes d'un homme noyé dans le Deluge universel*, quæ legi possunt in Ephemeridibus, quibus titulus est: *Journal des Savans.* 1727. *Januar. num.* 3.

** Confer Celeb. JO. CHRIST. BECMANNI *Historiam Orbis terrarum Geogr. & Civ. Parte I. cap. IX. Sect. II.* §. 13.

§. XXXVI.

Nunc quoque de tempore querulantes audiamus, qui ea quæ actiones hominum, morales præcipue concernunt, tempori ipsi immerito tribuunt. * Accusant tempora nostra: nunquam tantam in rebus sacris negligentiam priscis temporibus obtinuisse, quanta ubique fere nunc obtineat. Alii tantam in plurimis locis superstitionem esse clamant, quanta antiquitus inaudita fuerit.

* Vide §. 4.

§. XXXVII.

Sed nullum, proh dolor! seculum, nullum tempus, ab hisce vitiis fuit immune. Quod in primitiva Christi ecclesia circumcisi sint proselyti, gentiles etiam, ut alia vitia, ita & superstitionem arguit. Quod viduis gentilibus necessaria non sint subministrata, negligentiam satis indicat. Magna quoque inter Judæos animi levitas, in rerum sacrarum administratione, obtinuit crebrius, quod inter alia Aaronis filii Nadabus atque Abihu, scelerati filii Eli & lugens Propheta testantur. * Pascha per longum temporis spatium non celebratum; templum, collata quamvis ad hoc pecunia, non reparatum; lex plane perdita, & Josia rege demum rursus inventa, variæque reformationes, ecclesiam & tum temporis non raro corruptam fuisse comprobant. ** Quanta Judæorum, gentes imitantium, fuerit superstitio, non credo quod opus sit ut indicem. Immo si alterum statim, primorum Adami filiorum, fratricidam fuisse reputes, de puritate ac innocentia priorum temporum, alia judicabis omnia.

* *Jerem. XI,* 10.

** Vide FRID. SPANHEMII F. *Brevem Introductionem ad Historiam Vet. Test.* & Vener. JO. FRANC. BUDDEI *Historiam Ecclesiasticam V. T.* adhuc autem in aliis multis Ecclesiæ Judaicæ corruptionem brevissimis nota-

vit

vit Vener. ADAMUS RECHENBERGIUS *Summarii Hist. Eccles. P. I.* §. 14.

§. XXXVIII.

Nec statum ecclesiæ hodiernæ reddit miserum, quod Deus se non amplius per Prophetas, miracula similibusque modis manifestat. Hoc enim ipsum est, quod feliciores longe nos reddit, quam veteris ecclesiæ homines; omnibus jam, quæ ad salutem creditu factuque necessaria sunt, manifestatis, ut ita extraordinariis revelationibus divinis non amplius indigeamus. Quæ in antiquissima ecclesia sæpe tantum adumbrabantur, ea jam ipsa accepimus. *

* Vide Vener. BUDDEI *Dissert. de Prærogativis fidelium N. V. præ fidelibus V. T.* in *syntagm. dissertationum* ejus *theologicarum.*

§. XXXIX.

Nec est quod quis optet, ut eo tempore vixisset quo Christus in terra versatus est. Cogitet, quot fuerint per miserum ipsius statum externum offensi. * Qui hereticos nostri temporis cogitat, ne illud propterea infelix, prioribusque pejus putet. Percurrat secula, etiam priora omnia, nunquam defuerunt qui turbarent ecclesiam, suisque exemplis atque doctrinis, quæ mendacii a veritate, quæ vitii a virtute sit differentia, demonstrarunt. Deus semper conservat suos, quilibet, ut inter illos numeretur, habet quod curet.

* Videatur THOMAE BROWNE *Religio Medici. P. I. Sect. VIII. p* 46.

§. XL.

An rerumpublicarum status jam demum ita est corruptus, ut pecunia multi honores, munera, patrocinia parent? Cicero quidem: Male res habet, inquit, cum, quod virtute effici debet, id tentatur pecunia; * invictos tamen ferro Romanos, a Jugurtha aliquoties auro devictos scimus. ** Immo cum divitiis magis atque sumtibus, quam probitate & industria, cum majoribus suis contendere inciperent; *** moribus eorum recipiebatur, non nisi eum equitem habere, cui ingenuo ipsi, patri avoque paterno, CCCC HS census esset. * Qui etiam jacturam pecuniæ fecerat, de dignitate & ordine deturbabatur. **

* *de Officiis lib. II, cap.* 6.

** SALUSTIUS *de Bello Jugurthino edition. Jansoniana de* 1647, *pag.* 55. 60. 61. 75. 77.

*** *ibid. pag.* 49. & SUETONIUS *in Julio Cæsare edit. Mairei de* 1645. *p.* 14.

* PLINIVS *Hist. Nat. l. XXXIII, cap.* 2. & PLINIVS junior *l. I. Epistol.* 19. item SVETONIVS *in Jul. Cæs. pag.* 26. & OVIDIVS 3. *Amor.* 7.

** Videantur IO. ROSINI *Antiquitates Romanæ l. II. c.* 17. Si etiam §. 20. dicta perpenderis, sæpius e re societatis esse videbis, ut locupletum peculiaris habeatur ratio, hique aliis non nunquam præferantur.

§. XLI.

Etiamsi omnes homines natura libertati studeant, * respublicæ tamen Græcorum, quæ maximam sibi conciliarunt laudem, ** impedire non potuerunt, quo minus tyranni inter ipsos exorirentur. *** Dissidia, seditiones, perfidiam, simulationes, invidiam, varias gravesque mutationes, in optimis quoque exortas esse rebuspublicis, historicorum volumina loquuntur. * Immo respublica ab omnibus immunis imperfectionibus, nisi in optantium atque sperantium cerebro, locum non invenit. **

* JVLIVS CAESAR, *de Bello Gallico l. III, cap.* 10.

** CICERO, *pro Flacco cap.* 26. LIVIVS *l. III. cap.* 31. PLINIVS *l. VIII, Epist.* 24.

*** CORNELIVS NEPOS *in Alcibiade cap.* 10. *in Pelopida cap.* 5. *in Trasibulo cap.* 1.

* TACITVS, *Annalium l. III, cap.* 27. De bello Catilinario aliisque in Romana republica turbis, consule Livium, Florum & alios.

** Finxit perfectam, ut sibi promittit, rempublicam PLATO, ut præter ea quæ *Dialogis X. de republica vel de Justo* continentur, brevissimis exponit in *Dial. V. de legibus, edit, Basileensis de* 1534, *pag.* 511. *in fine*. THOMAS MORVS in fine *Utopiæ* suæ fatetur, multa esse in Utopia, quæ in nostris rebuspublicis desiderentur; sed ad quæ impetranda, exceptis suspiriis, nulla dentur media.

§. XLII.

An nondum conquerentium finis est? Nondum. Hippocrates, Celsus, Galenus ubinam sunt? Ita vulgo creditur, Medicos veteres, iis qui nobis sint, longe præferendos esse. Sed, quibus nos gaudemus, ex antiquis non optima solum conquirunt, verum & recentius inventa, emendata, aucta varieque mutata inspiciunt, hincque medicinam perfectiorem reddunt. Quantum per Anatomiam tantum scientiæ huic factum sit incrementum, ignarissimos solum latet. Quod vero inter bonos multos, multi etiam dentur qui spartam suam, ut deberent, non exornant, de eo, non minus ac nos, veteres conqueruntur. *

* PLIN.

* PLIN. *Hist. Nat. l. XXIX, cap. I. In hac*, inquit, *artium sola evenit, ut unicuique medicum se professo, statim credatur, cum sit periculum in nullo mendacio majus.* De incrementis studii medici consule *Clerici* atque *Barchusenii Historiam Medic.*

§. XLIII.

In rebus Philosophicis, non est quod veteribus palmam præ recentioribus concedamus. Nullus quidem nego, veteres in multis magni faciendos esse; sed & recentiores ea, quam merentur, laude privandi non sunt. Habuerunt & antiqua jam tempora suum Socratem, Platonem, Aristotelem totque alios Philosophos acutissimos, suum quoque Potamonem, qui ex sectis Philosophorum reliquorum, optima quæque eligebat. Ut vero minora sunt rerum plurimarum initia; ita qui jam, non ex Platone solum & Aristotele sua colligunt, verum & ex iis, qui diu veteribus insudantes nova quoque accenderunt lumina, antiquioribus hi sine dubio sunt præferendi. Præcipue qui rebus ipsis invigilant easque debite ponderant, omni honoris cultu sunt prosequendi. *

* Vide DIOGENIS LAERTII, *lib. X. de vitis, dogmatibus & Apophthegmatibus clarorum Philosophorum.* THOMAE STANLEII, *Historiam Philosophiæ Orient.* & Celeb. GOTTLIEBI STOLLII, *Historiam Litterariam.* Bene PLINIVS: *Sum ex iis*, inquit, *qui miror antiquos, non tamen ut quidam, temporum nostrorum ingenia despicio. Neque enim lassa & effoeta natura, ut nihil jam laudabile pariat, l. IV. Epist. 21.* Confer etiam FR. BACONIS VERVLAMII *librum de augmentis scientiarum.*

§. XLIV.

Veterum Mathematicorum machinæ, specula caustica, alia, in hisce scientiis tempora antiquiora nostris esse præferenda, movent forsan quosdam ut existiment. Satis vero multa quæ regeramus, se nobis offerunt. Cartesii calculus Geometricus, Leibnitii calculus infinitesimalis, aucta insigniter ars navigandi per pixidem nauticam, nova disciplina aërometrica atque acustica, horologia, telescopia, micrometra, reliqua, & in singulis disciplinis tot novæ accessiones, recentioribus quot quantaque debeamus, non possunt non clarissime indicare. *

* Vide PERRAVLTII *Parallele des Anciens & des Modernes Tom. IV.* Vide etiam Celeb. RVD. CHRISTIANI WAGNERI *Programma de Progressu parallelo Analyseos & Praxeos Mathematicæ. Helmstadii* 1701.

§. XLV.

Sed magia veterum sui jam non habet similem, ut exempla magorum Aegyptiorum, Persarum aliorumque docent! Verum enimvero si magia accipitur pro arte, ope spirituum malorum miranda efficiendi, utinam inter nos ea non inveniretur. * Si vero cognitio accuratior, in Mathematicis & Physicis ea praestandi, quae aliis videntur miracula, intelligitur hac voce, nostra tempora antiquis quomodocunque cedent? Inspiciamus tantum, idque debita attentione, quae habemus, longe magis miranda nos quam antiquiores efficere posse, conviceniur. **

* Vide Vener. JO. FRANC. BVDDEI *Theses de Atheismo & Superstitione cap. IX, §. 3.*

** Vide Ephemerides Societatis Regiae Anglicanae: *Philosophical-Transactions;* & Gallicanae: *Histoire,* ut & *Memoires de l'Academie Royale des Sciences;* item Prussicae: *Miscellanea Berolinensia; Acta Eruditorum* Lipsiensia & alia, in quibus passim, quantae in scientia physica, cognatisque disciplinis, factae fuerint accessiones, videre est.

§. XLVI.

Quid de aliis artibus dicam? Non parvus numerus rerum perditarum mihi objicitur: ars conficiendi purpuram, levem armaturam, instrumenta nonnulla musica. Nec haec vero me movent ut credam, tempora nostra prioribus minus esse felicia. Typographiam & Chalcographiam omnibus illis opponam; praeterea notitia plurium terrae partium, & quae inde apportantur, tempus nostrum satis superque nobilitant. *

* Vide GVID. PANCIROLLI *Res memorabiles seu deperditas,* item GEORGIVM PASCHIVM *de Inventis nov-antiquis.*

§. XLVII.

Nunc adhuc litteratos video temporis accusare corruptionem, quia non omnes iis cumulantur honoribus, quibus se dignos esse firmiter credunt. Valde autem vereor, ut justitia hujus eorum querelae probari possit. Dicunt: Xenophon, Aristoteles, Plato, Dio Cassius, Curtius, Seneca, alii, numinum reverentia a reliquis sunt culti. Non autem aliam ob caussam eos ita honoratos credo, quam quia magnis praeerant officiis, aut quia gratia illustrium virorum gaudebant. Veneratio illa proinde, dignitati eorum potius quam eruditioni tributa fuit.

fuit. Nec est quod credas, ab omnibus promiscue tam magni illos factos esse. Regeris: historicorum hoc referunt scripta.* Cogita, anne forsan clientum erga patronos hæc sit adulatio, quæ historicos ad ea tradenda moverit. Quod autem tam multi, qui litteris dant operam, non inclarescant, ex variis hoc contingit caussis. Volunt quidam eminere, & non possunt; quidam possunt, non volunt; quidam nec volunt nec possunt, & tamen litterati aliqua sunt ratione. **

* Consule ADAMI EBERTI *librum citatum.*

** Vide JOANNEM PIERIUM VALERIANUM & CORNELIUM TOLLIUM *de Infelicitate Litteratorum.*

§. XLVIII.

Aureum denique seculum ut redeat desideratur. Non immerito quidem hoc fieri credo, dummodo præcesserit quæstio, an unquam fuerit. Gaudium multis oritur si reminiscuntur, nullas hominibus curas fuisse, perpetuum vernum tempus, nullum morbum, senectutem nullam, nullam nec hominum nec bestiarum feritatem, gaudia semper, tripudia atque convivia. Hæc autem ita fuisse unquam unde probabis? A poëtis & alia multa conficta sunt, quæ ut credas non adduceris; aureum autem seculum, si ab iis quod fuerit traditur, an propterea statim credes? Fuerunt, qui tui similes, hæc sibi, quia ut essent optabant, finxerunt; uti hodie adhuc Utopiam hujusmodi multi desiderant atque exoptant. Hoc tamen facile etiam concesserim, qui quietam vitam arctamque amicitiam coluerint, secure etiam jucundeque vixerint, aliis invidis ea intuentibus, occasionem dedisse, ut sibi imaginarentur, tam jucundum illis felixque esse tempus, quod aureum appellari mereatur. *

* Vide NATALIS COMITIS *Mythologiam cap. II, pag.* 116. *&* 117.

§. XLIX.

Verum autem aureum seculum illis est, qui, sua sorte contenti, officio suo satisfaciunt, tranquillaque fruuntur conscientia. Uti enim, qui non majora semper appetit, sibi ipsi molestus non est; simul & satisfaciens suo officio, eo ipso & aliis satisfaciendo, molestias ab iis non patitur; & tranquilla denique conscientia, revera tali, Deum quoque experitur propitium; ita quid tali desit nescio. An desunt amplæ divitiæ? iis non indiget; an splendidis honori-

noribus variisque caret voluptatibus? nec hisce eget qui veram appetit felicitatem. * Si enim necessaria tantum adsint, reliqua omnia facile superantur, ab expectatione certissima, possessionis vitæ interminabilis, ejusque totius simul ac perfectissimæ. **

* Vide ANDR. RVDIGERI Anweisung zu der Zufriedenheit:

** Vide A. MANLIVM TORQVATVM SEVERINVM BOETIVM *de Consolatione Philosophiæ.*

§. L.

Non est ergo quod tempus ipsum malum esse existimemus, non est quod tempora nostra infeliciora, quam priora fuerunt, æstimemus, & propterea conqueramus. Præsentia sunt ut fuerunt præterita; & aliqua, eorum quæ in tempore fiunt, si sint immutata, vel plane etiam amissa, alia non leviora inventa sunt, & pleraque in melius mutata. * Contenti itaque simus nostris, ea contemplemur, eis gaudeamus, Deoque magis gratias pro iis agamus, quam ut aliis sua invideamus. Videamus præterea, ne, cum nostro tempore viventes antiquis cedere credimus, ipsi eis maxime cedamus, & non tempori, sed nobismet ipsis, infortunii nostri caussa sit imputanda. **

* Tempus est unum, verum, bonum, & ratione essentiæ & ratione existentiæ: Si quæ mutata, si quæ mala, ea in tempore sunt, non ad tempus ipsum spectant.

** Constitueram contra IOANNIS CRAIGII *Theologiæ Christianæ principia Mathematica* quæ *Londini* 1699. prodierunt, aliqua addere, cum ille proportiones probabilitatum ratione temporis, suspitionum incrementa ac decrementa veritatum, aliarumque rerum, secundum durationis spatium tradat, sibique ac aliis, ea methodo mathematica demonstrata esse, persuadere satagat; cum autem spatii angustia hoc nunc permittere recuset, in aliud tempus hæc sunt differenda.

COROLLARIA.

I. *Si similibus similia addantur similiter, tota sunt similia.*
II. *Inter certitudinem & necessitatem magna est differentia.*
III. *Præsens est gravidum futuri.*
IV. *Contra veritatem nulla datur invincibilis objectio.*
V. *Duo contraria sæpe ambo sunt possibilia; sed propterea non statim ambo existunt.*



S. D. G.